

CONCLVSIONES

DEDVCTÆ EX QVÆSTIONE MEDICA

AN NOXIVM FEBRICITANTIBVS VINVM.

In Aulâ Academicâ publicè propugnanda.

AUSPICIIS

PERILLVSTRIS ET REVERENDISSIMI DOMINI

D. PHILIPPI DE TULLE

Canonici Ecclesiæ Metropolitanæ,

Vniversitatis Avenionensis Primicerij,

Rectoris, Iudicis, & Privilegiorum Conservatoris.

PRO BACCALAUREATU.

I.

VT ægri non quolibet medicamento curantur, sic non quovis alimento nutriuntur, quod uni prodest affectui, nocet alteri aliqui levibus vehementibus alii, non nulli mediocribus indigent pharmacis, hic calidam, ille frigidam expostulat escam, alios juvat, alios lædit valentis materiæ cibus, tot effectuum radix, eadem ac morborum, varia nempè succorum indoles, qui semel vitiati similibus exasperantur, emendantur contrariis: hinc febricitantibus non omnia conveniunt, quæ motos sedant humores, quæ ipsorum motum comprimunt, ea sunt illis salutaria, quæ fovent insolentem sanguinis effervescentiam, quæ cæteros augent, incendii febrilis apparatus, ea sunt noxia penitùs & abdicanda.

II.

VEHEMENS & inordinatus sanguinis motus febris est, pereunt hoc motu caloris blanditiæ, perit mollities succorum, crescit in corde, ut ita dicam, peregrinus ignis, mali semina latè dispersurus, hinc insolitæ in liquoribus effervescentiæ, fervoris impetu quoquo versum dissilit quidquid tenuius, quidquid actius est in humoribus; id si cutim feriat rigor indè concitatur, si thoracem tussis, si cerebrum capitis dolor, his etiam accedunt ob incandescentiam sanguinis pulsus celer, spiritus difficilis, linguæ siccitas, sitis intensa, pertinax vigilia &c. febrilis hæc tempestas continua est, aut interpolata, vel eodem tenore furit, vel silet aliquando, modo tertiâ, modo quartâ luce reversurâ: vitiosus sanguis utriusque causa est, is à chylo vitiatur, chylus autem à cibo & potu si enim quod assumitur æstuosum nimis sit ac sulphureum, consimilis erit chylus, consimilis sanguis cui ferè totus permiscetur: hinc febricitantes offendit quidquid ebullientibus succis novum addit motus incitamentum, ut vinum quocumque modo paratum.

III.

IGNEUS est enim illi vigor ab origine, actuosissima materia ex qua conflatur & calida quâ gaudet tellus, in ipso multum est salis & sulphuris volatilis, & consequenter humorum massæ si permisceatur, ipsam attollet, exagitabit, elevabit, sicque febriles accendet, aut alet igniculos, si fervidis ingeratur visceribus, fomes erit peregrini caloris, si à febrili æstu velut ab igne focario, retorreantur, ut ita dicam, ventriculus & intestina, in ipsis flammam accendet, excedentisque illius caloris erit irritamentum sicque semper causam febris exasperabit.

IV.

DUM igitur febre aduruntur ægri iis pessimum est vinum: succum enim suggerit nimis validum, nimis æstuantem, in illo moleculæ, sanguinem nimium & insolentur commoventes reperiuntur de quibus suprà, in illo tartareæ quædam particulæ, quæ licet sale fixo turgidæ suo etiam sale volatili non destituuntur (de quibus præ paginarum angustiis nihil dicere possumus) continentur, quæ quantas in febricitantis sanguine strages edere possint consideranti patebit abundè; & consequenter quandoquidem in omni febre compescendus est humorum & sanguinis motus, qui ex præmissis, acuitur & exacerbatur à vino, jure concludere posse putamus.

Ergò noxium febricitantibus vinum



Has Conclusiones, Deo dante, & auspice Dei-Para. Præside Illust. ac Nob. D.D. IOANNE BAPTISTA GASTALDI Regis Consiliario, & Medico Ordinario, almæque Facultatis Medicinæ Professore Primario & Botanico. Tuebitur ~~Nob.~~ D. PETRUS MALHERBE Pacaudierensis, Diœcesis Claromontanei Artium Magister & jam dudùm Medicinæ studiosus. In Aula Vniversitatis. Die 20 Aprilis 1714. Hora ~~septima~~ matutina.